niam, Namurcum, Hannoniam: pes vero posterior dexter Artesiam; siniſter Artesiæ & Hannoniæ partem.

Situs præcipuis Europæ partibus valde peropportunus; nam versus Septentrionem non nisi quinq; vel sex dierũ, itinere distat à Dania, qua cum plurima nobis intercedunt commercia. Ad Meridiem Franciæ Lotharingiæque perpetuo nexu adhæret. Ad Ortum terminatur Germania, ad quam frequens & quotidianus mercantium aditus; ad Occasum vicinã habet Britanniam, in quam paucarum horarum spatio traiicitur, eadem fere Hiberniæ ratio. In Norwegiam insuper, Sueciam alisque Septentrionis regiones facilis ex his terris lecto Germaniæ Littore navigatio, uti & in Lusitaniã & Hispaniam. Etenim Olyssippone decem plus minus dierum itinere in has oras trajicitur.

Jn ea parte, quæ cis Rhenum in Gallico solo est, ponuntur Toxandri, inter Mosam & Flandriam ad Oceanum; inde Menapii Brabantiæ pars & Geldriæ ad Rhenum usq; Morini adhæc pars Flandriæ inter Oceanum & Legiam amnem; Atrebates aliique. Jn altera parte, quæ trans Rhenum in Germania sita est, fuere quondam Frisii á Rheni ostio ad ostium usque Amisiæ amnis vulgo *de Eems*; in Septentrionali Hollandia, Frisia Occidentali, Groningensi agro & parte Trajectensis Provinciæ: Bructeri in Transisalana provincia; Marsaci circa Amersfortiam, inter Rhenum & Isalam amnes. Hos omnes L. Drusus imperitante Augusto Cæsare subegit. Illos, qui in Gallia, Iulius Cæsar perdomuit. Manserunt inde sub imperio Romano, maxime qui cis Rhenum; donec id Theodosio imperante ab exteris gentibus direptum. Tunc enim varii Germanicæ populi, alii subinde atq; alii huc immigrarunt, quorum cum quidam postea in Galliam, nonnulli vero in Britanniam insulam commigrarent, incolæ in priscam, creatis sibi regulis, libertatem sese vendicarunt. Inde temporis succesſu septendecim provinciis definiri cœpit Jnferior Germania, quarum aliæ Ducum, aliæ Comitum, aliæ etiam Dominorum titulo rectores acceperunt. Procedente tamen tempore, alia alii provincia per rectorũ matrimonium juncta est; donec tandem ad unum dominum pervenerint. Js primus fuit Carolus Burgundiæ Dux cognomento audax, pater Mariæ, quæ Provinciarum omnium domina hæreditaria Maximiliano Austriaco nupsit, à quibus devolutum earum regimen ad Philippum Austriacum filium, qui ducta uxore Joanna Ferdinandi Regis, Arragonum filia, fatali his terris matrimonio, eas Hispaniis annexuit. Natus ex his Carolus v. Imperator, cui succesſit Philippus II, sub quo à Principe suo magna & quidem potissima Belgicæ pars defecit: nam cum incolæ jam inde à Carolo v vim atque injuriam sibi fieri, privilegiaque, quibus satis libertati suæ provisum erat, eripi quærerentur; vim vi repellere, armisq; libertatem avitam defendere decreverunt. Inde diutinum illud tot annorum bellum. Pars Hispanorũ armis succubuerunt; pars in pristinam libertatem se uindicavit. Hinc in duas partes Belgica, sive inferior Germania divisa est. Provinciæ Hispanorum imperio subditæ sunt istæ. Brabantia, Limburgum, Luceburgium, ac dimidia pars Gelriæ, cis Rhenũ ac Vahalim in veteri Belgica sita; dein Flandria, Artesia, Hannonia, Narmurcum, Marchionatus S. Imperii & Mechlinia. Reliquæ sub una Republica Ordinum Fœderatorum nomine tituloq; armis constanter & feliciter hucusque libertatem defenderunt.

Flandriæ magnitudo

Flandria omnes Christiani Orbis Comitatus superat, ager fertilis, pascuaque læta. Insulas habet adjacentes *Cadsant*, Oostburg, Bierfliet, Ordinibus Federatis jam parentes. Urbes ejus præcipuæ sunt: Gandavum vulgo *Gent* caput hujus Provinciæ, inter majores Europæ urbes computata, Caroli v incunabulis nobilitata. Brugæ vulgo *Brugge*, primas ob pulchritudinem & amœnitatem sibi vendicant. Sequuntur Tornacum, Gallis *Tournay*, Germanis *Dornÿck*; Cortracum, Gallis *Courtray*, Germanis *Cortrÿck*. Duacum *Dovay*; Insulæ Gallis *l'Isle*, Germanis *Rijssel*; Jperæ *Iperen*; Neoportus *Nieupoort*, *Sluſa*, *Duynkercka* pyratica toto belli Belgici tempore insignis, Ostenda triennali Hispanorum obsidione celebrata; Grevelinga in finibus Galliæ.

Artesia. Artesiæ caput est Atrebatium, Germanis *Atrecht*, Gallis *Arras*: Fanum D. Audomari, vulgo *S. Omer*; Tervanna insignis qnondam urbs, postea vero à Carolo v. expugnata ac funditus eversa.

Hannonia. Hannoniæ caput est Montes, vulgo *Mons* Gallis, Germanis *Bergen*. Secunda ab ea Valentianæ, Gallis *Valenchienes*, Cameracũ, Germanis *Cameryck*, Gallis *Cambray*, cum agro suo singularem provinciam conficere videtur, quæ dicitur Cambrensis.

Namurcum. *Namurcum*, Gallis *Namur*, Germanis *Namen*, caput est provinciæ cognominis, urbs ædificiis magis valida quam splendida.

Luceburgum. *Luceburgium* Ducatus nihil insigne habet, præter Luceburgium unde provinciæ nomen.

Limburgum. *Limburgii* itidẽ caput est Limburgium urbs, minus inter reliquas 17. Provincias clara. Falcoburgium ac Dalẽ duo Comitatus, portiones sunt Limburgensis Ducatus.

Antwerpia. Primaria Brabantiæ urbs est ANTWERPIA, Gallis *Anvers* Germanis Inferioribus *Antwerpen*, Superioribus *Antorf*. Emporium quondam totius Europæ celeberrimum, nunc etiam totius terrarum Orbis splendissima, arce sua maxime nobilis. Bruxellæ magnifica urbs rectorum Belgii Hispanici sedes. Silva-ducis, civitas hactenus situ ac opere invicta, nuper auspiciis Ordinum Hollandiæ, ductu & moderamine Frederici Henrici Principis Auriaci expugnata. Lovanium Musarum Sedes. Præterea *Breda*, *Sevenberga*, *Berga ad Zomam*, *Liera*, *Herentals*, *Diesta*, *Tienen*, nuper à Gallis misere attritum & *Gemblours* haud ignobilia sunt oppida.

Mechlinia Germanis *Mechlen* & Gallis Malines, quæ unam provinciam conficit, inter nitidissimas Belgicæ merito numeratur. De cætero est in Brabantia Ducatus Arschotanus, Marchionatus Bergæ ad Zomam; Comitatus *Hochstraten* & *Megem*, Baronatus Bredæ, Diestæ ac Grimbergæ. *Mechlinia.*

Zelandia. *Zelandia* in insulas complures dissecta est, quarum nobiliores Walachria vulgo *Walcheren*: Scaldia vulgo *Scouwen* & Bevelandia Austrina alias *Zuyt Bevelant*. Jn Walachria urbs primaria est Middelburgum, celebre emporium, excipiendis mercibus Gallorum, Anglorũ, & Scotorum oportunũ. Secunda est Vlissinga, ubi proximus est ex Gallia ac Britannia appulsus. *Vera* Scoticarum mercium emporium. In Schaldia insula est Zirizæa, oppidum satis nitidum & amœno situ positum. In Bevelandia est *Goesa*.

Hollandia. *Hollandia* ob frequentia in varias mundi partes commercia totius Belgicæ celeberrima potentissimaque dividitur in Septentrionalem & Australẽ. Septentrionalis *Hollandiæ* pars crebris lacubus interfusa *Waterlant*incolis vocatur. Princeps dignitate est totius Hollandiæ urbs Dordracum, in ipsis lacuum, quos Mosa Vahalisque efficiunt, undis sita, vini Rhenani frequenti mercatu nobilissima. At maxima potentissimaque est omnium Amstelodamum, opulentissimum ad Oceanum Germanicum emporium. Lugdunum Batavorum omnium Belgicarum, nedum Hollandicarum, platearum nitore, laudatissima. Delphi Gulielmi Principis Auriaci cœde famosa civitas. Roterodamum natalibus Erasmi Roterodami clara, secundum ab Amstelodamo emporium. Haga Comitis nobilissimus totius Europæ vicus, multisq; urbibus præferendus, Comitum quondam Hollandiæ, nunc Concilii Federatarum Provinciarum sedes. Sunt præterea nobiles urbes Harlemum typographiæ (ut volunt) inventrix, Gouda, Geertrudis Mons, Alcmaria, Edamũ, Horna, Monickedamũ, Purmerenda, Enckhusa. In insulis Australibus est Briela, & jã collapsa Geervlietia. Septentrionali Hollandiæ adjacent Insulæ duæ Texela